

Christi Servatoris, hactenus expeditam deditus:
superest, ut de posteriore etiam, quæ officium
Christi tam sacerdotale, quam regium exponit,
breviter dispiciamus.

2. Hac autem vice de sacerdotali duntaxat of-
ficio, quod durante humiliationis sive ēxēvōσeωs
statu à Christo fuit peractum, & Mediationis ac
Redemptionis nostræ opus respicit. nobis erit dis-
quisitio.

3. De hoc Confessio nostra his verbis differit;
natus ex Maria virgine, verè passus, cruci-
fixus, mortuus & sepultus; ut reconcilia-
ret nobis Patrem, & hostia esset non tan-
tum pro culpa originis, sed etiam pro o-
mnibus actualibus hominum peccatis.

4. Humiliationis isthæc esse, ac proinde plena
usurpationi illius gloria atq; Majestatis, quam
humanæ Christi naturæ realiter vi unionis hypo-
staticæ communicatam fuisse, nuper demonstra-
vimus, minimè competere, nemini potest esse du-
biuum.

5. Profundissima ergò ēxēvōσd, & quasi ab-
dicatione dominii ac communicata Majestatis,
quoad plenarium ejus usum, caro Christi toto
illo tempore, quod Redemptionis operi perficien-
do erat destinatum, quodque inter primum con-
ceptionis ortum & Resurrectionem intercessit, ut
voluit.